



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvgensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes
Coloniae Agrippinae, 1657

Decretvm V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

SEQVNTVR
DECRETA SPECIALIA
HVIVS SYNODI.

Art. 24.

Eccl. 34.

E piscopalis muneris Nostri ratio nos admonet, juxta Apostoli mentem, attendere Nobis & gregi, in quo Nos Spiritus sanctus posuit Episcopum, regere Ecclesiam Dei; & ut, juxta Prophetæ Ezechielis sententiam, infirma consolidare, quod ægrotum sanare, quod fractum alligare, quod abjectum reducere, & quod perit, quærere studeremus. His igitur aliisque sacrarum paginarum sententiis, & Canonum sacrorum, officique quod gerimus, ratione permoti, primum, pacatâ Diœcesi Nostrà, curam in unum hoc conjecimus, ut singulas Nobis commissas Ecclesias personaliter visitaremus, & vultum pecoris Nostri cognoscere studeremus. Necessarium itaque judicavimus, ea, quæ correctione indigere visa fuerunt, pristino vigori & usui restituere, & quæ, Ecclesiæ necessitas exigere visa fuit, novis sanctionibus & decretis constituere; pro ut etiam per præsentem constituimus, & Episcopali Nostra autoritate mandamus.

DECRETVM I.

Cvm, præ omnibus, divini cultus & obsequii cura Clericis omnibus, tum vel maxime Nobis, cordi esse debeat; ejus vero majestas, non ex fidei tantum unitate, sed cærimoniarum etiam & sacrorum rituum uniformitate eluceat; volumus, tam in Nostra Cathedrali & Collegiatis quàm aliis Ecclesiis, Decani & Superiores diligenter attendant, ut ridiculæ ex gestulationes, quas quidam in Sacrificio Missæ usurpare visi sunt, omnino tollantur, & Missalis Romani rubricæ diligenter ab omnibus observentur.

DECRETVM II.

NE verò juniores Presbyteri veterum errores addiscant; mandamus, ut in Nostra Cathedrali & Collegiatis Ecclesiis, unus aliquis, cærimoniarum peritior, constituatur, qui eos usum earum doceat; si qui vero ad Parochias promovendi, ii à Decanis probentur, & exercentur. Et, ut non tantum in cærimoniis, sed etiam in ipso divino officio, cum aliis conveniant, volumus, singuli Clerici Calendarium Nostrum Osnabrugensè habeant, & ad illius leges Officium & Sacrificium instituant, norintque tam in festis quam processionibus eidem se accommodare.

DECRETVM III.

Cvm frequenter contingat, homines quosdam, pietati addictos, libenter Sacris assistere velle; mandamus, ut prius campanâ aliquâ signum detur ad Sacrum; atque, ut ad absentes & occupatos aliquis illius fructus derivetur, & devotio excitetur, deinceps semper, sub elevatione in Sacro principali & conventuali, campana majore tractim signum detur in omnibus Ecclesiis.

DECRETVM IV.

Cvm non ultima hætenus malorum, quæ passi sumus, causa fuerit negligentia Sacrorum, & maxime erga augustissimum Altaris Sacramentum irreverentia; præcipimus & severe mandamus, ut deinceps ejusdem maxima cura habeatur, illudque vasis & tabernaculis mundis & ornatis asservetur; & ne periculum sit putrefactionis, bis aut semel quovis mense, vel etiam juxta majorem Synodum citius, si loca sint humidiora, renovetur; ante illud autem, tam in templo lumen ardeat, quàm, cum ad ægrotum defertur, præferatur, induto tam Pastore, quàm ædituo præcedente, respectivè stola ac superpelliceo, & tintinabulo signum dante. Si quando verò ad loca remotiora, aut pluvio cælo, Venerabile Sacramentum ad ægros est deferendum, post hac rustici curru Sacerdotem ad ægrum ducant, & reducant ad templum; si vero pauperes sint ii qui Sacramentis muniendi, vicini utrimque proximi ad istud charitatis officium obligentur.

Part. I.
cap. 15.
§. 5.

DECRETVM V.

Cvm deprehenderimus, in plurimis Ecclesiis, populi devotionem non parum impediri Altarium quorundam & sedilium obstaculis; volumus, ea sic aptari, ut pateat singulis prospectus ad aram majorem, quando Sacerdos ad illam facit; à lateralibus vero Altaribus ita sedes removeantur, ut Sacerdoti pateat accessus, eique commode ministrari possit.

DECRETVM VI.

Advertimus, in non paucis Ecclesiis ita sedilia constituta esse, ut neque in illis flecti possit, neque juxta illas processionibus locus detur. Mandamus proinde, ut eo modo sedes construantur, ut ritu Catholico in iis

D d 3 genua